

Et magnos alijs nominibus uocant.
 At ueluti niueis lactea spiculis
 Configit tremulas Cynthia stellulas
 Aduersum radios fratris ubi stetit.
 Ut Solis rutilans igniferi iubar
 Accensis adimit lumina cæcis.

Sic sic Astronomus clarior omnibus,
 Illustrisq; magis lucet & eminet.
 Sic sic Astronomi fulgida gloria,
 Splendores alios nubibus obtegit.
 Non hunc parua soli detinet arca,
 Non, qua nos trahimur, terrea patria,
 Non uasti tituli, uanaq; nomina,
 Non fallax stupida cura pecunie,
 Non duris similes iliabus manus,
 Non non ulla tenent deniq; ludicra,
 Non ullis alijs que sibi gloriæ
 Transcribunt studijs intereuntibus,
 Que florent hodie, flaccaq; cras iacent,
 Non ullis animum talibus impedit,
 Summo sed uehitur, summus in æthere
 Sublimi feriens sydera uerticæ.
 Istinc aëria turre uelut situs,
 Quam arceo positas res hominum breui,
 Quam clausas humili ualle procul uidet?
 Istinc tardigradas temnere cocleas,
 Reptantes & humi spernere limacas.
 Ut celso uolitans sub solio Iouis
 Per Phœbi radios rex auium solet.
 Sic Rex Astronomus Cæsare, siue quid
 Illo maius habes, magnificentior,
 Ex alto ista uidens omnia despicit.
 Hic quod Nemo potest, ad numeros uocat,
 Que uasti superant glareolas maris.
 Stellæ & proprio nomine quamlibet
 Compellat, proprio collocat & loco.

Quinte